

non poteramus, sed in eos quoque contributionem imposueramus, quam ad privatas Regni necessitates exponendam deputaveramus; nunc autem intelligimus Regiam Majestatem, Dominum Nostrum Gratosum, ipsam contributionem personarum Ecclesiasticarum, aliter erogandam commisisse:

§. 1. Quare supplicandum est Regiae Majestati ut Sua Majestas dignetur contributionem illam nobis exigendam, et ad Regni necessitates exponendam concedere gratiose.

§. 2. Interim autem, donec a Sua Majestate exinde relationem veram obtinuerimus; universi Presbyteri, ac Plebani et aliae personae Ecclesiasticae, contributionem ipsam penes se conservare debeant.

*Bonorum occupatorum restitutio in Regno Sclavoniae.*

A r t i c u l u s 17.

Primum et ante omnia, juxta commissionem et gratosam concessionem Regiae Majestatis, universa et quaelibet bona haereditaria, sive possessionaria, atque etiam castra, hisce disturbiorum temporibus per quoscunque violenter occupata, statim et defacto per Dominos Banos, absque omni litis motione, spoliatis restituantur:

§. 1. Damna vero illata, semper jure requirenda sint.

§. 2. Ne autem aliqui perinde animati, causas eorum sinistre interpretantes, justis etiam detentoribus et possessoribus bonorum injuriam facere valeant; Domini Bani penes unumquemque spoliatum, ad requisitionem ejus teneantur dare Vice-Comitem et Judicem Nobilium, qui spoliatum ipsum, ad bona ab eo violenter occupata introducant, et illa a detentoribus eorum, una cum castris, ac fortalitiis, seu curiis Nobilitaribus, illi spoliato repetant.

§. 3. Ubi vero detentores bonorum, hujusmodi bona restituere etiam modo recusaverint; per eundem Judicem Nobilium evocentur in praesentiam Dominorum Banorum.

§. 4. Qui ad literatoriam relationem ipsius Judicis Nobilium, absque omni ulteriori prorogatione, si se detentores ipsi ab ipsa violenta et ulteriori detentione bonorum legitime expurgare non poterint; cum onere capitalis sententiae in Decreto expresso, per omnia remedia, bona ipsa et castra spoliato restituant:

§. 5. Non obstante etiam eo; si iidem detentores aliqua jura, super eisdem bonis se habere praetenderint.

*Causae universae pro Dominica Reminiscere judicentur.*

A r t i c u l u s 18.

Judicia incipiantur pro Dominica Reminiscere, nunc futura, et universae causae tam factum bonorum et jurium possessionariorum; quam etiam actuum potentiariorum tangentes, a tempore felicitis regiminis et coronationis Regiae Majestatis, Domini Nostri Gratosissimi exortae; donationes quoque Regiae, judicentur.

§. 1. Vigore autem quorumcunque jurium antiquorum, nemo in causam se ingerere valeat.

§. 2. Causae tamen facti pignoris, omnes, etiam quantumvis veteres, judicentur et justo juris tramite discutiantur.